De Purgatione

TRACTATUS

MEDICO FUTURO TUM MAXIME NECESSARIUS, TUM APPRIME UTILIS:

In quo non tantum ex mente Hip. & Gal. de dextro purgationis usu agitur; Verùm etiam, CUR PURGANTIA FAMILIAREM SIBI HUMOREM ATTRAHANT,

Vera causa excutitur:

Omnium insuper purgantium, tàm compositorum, quàm simplicium doses usitatæ diligenter annotantur.

Annexo præterea Modo,

Secundum quem, uniuscuiusque purgantis compositi exacta dosis, facili negocio inuestigari vel corrigi possit.

AUTORE

D. TOBIA DORNCREILIO

Iglauiensi Moravo, Physico Lunæburgensi ordinario.

Amplissimis Viris,

ANTIQUA NOBILITATE, PRUDENTIA, AUTHORITATE, ET ERUDITIONE præstantissimis,

D.D.D. TRIBUS SENIORIBUS,

CONSULI, JUDICI,

AC TRIPLICI ORDINI SENATORIO inclytæ Reipub. IGLAVIENSIS in Moravia,

Dominis & Patronis suis unicè observandis,

NOn immeritò, Viri Amplissimi, beati omnium ore prædicantur ij, quos adeò æquus amat Iupiter, ut optimè de se merentibus, parem referre possint gratiam. Omnium verò felicissimi ij, quibus ut voluntas, ita nec deest facultas, accepta beneficia cum fœnore reddendi. Nam si verum est, quod Seneca, Philoso-

phus, Poëta, & Orator insignis de grato animo prodidit; *quod qui gratus futurus est, statim dum accipit, de reddendo cogitet:* quid quæso acerbius gratæ menti accidere potest, quam mutuis officiis non posse certare? Verùm enimverò cùm hactenus mihi à fortuna minus benignè prospectũ esset, atque omninò necessitati parendum esse statuerem, præterea ob oculos meos quotidiè versaretur, cùm A. V. prompta me meaq; studia iuuandi voluntas, tùm æquissimum illud Iuris gentium præceptum; *redde quod debes*, & mecum diu multumquè deliberarem, qua ratione A.V. gratum & memorem animum meum testificarer; tandem eò perveni, ut, quod Fortunæ bona denegarent, id bonis ingenioli mei compensandum iudicarem, & proinde tractatum, quem de utilissima & maximè necessaria Purgationis materia, publicæ vtilitatis causâ conscripsi, A. V. offerrem, dedicarẽ & consecrarem: Non quòd hoc leuidensi munusculo, ingens debitum, quo jure naturæ, & meritorum ratione Patriæ sum devin-

uinctus, persolvi à me posse putarem; sed ut interim aliquid tantum esset pignoris, quòad ipsi maiora, Deo dante, offerrem. Etenim alienissimus ab omni Naturæ æquitate essem, nisi patriam meam dulcissimam præ aliis Rebuspub. non amarem, nec, quantum per me licet, iuvarem. Tantus enim omnibus ingenitus est amor patriæ, ut neminem sui oblivisci patiatur, sed mira dulcedine, quandocunque patriæ nomen animo surrepit, omnium corda etiam ferociſſima demulciat. Refert eloquentiæ Parens, virum sapientissimum Vlyssem Ithacam illam, patriam suam, in asperrimis saxis, tanquam nidulum affixam, immortalitati antepositse: ut silentio præteream Q. Curtium, qui, cum terra in medio foro ingenti hiatu desedisset, responsumque esset, non coalituram labem, nisi quispiam ex optimæ spei adolescentibus sese in hiatum dejecisset: acceptam à Patria vitam, eidem impendere non dubitavit, & conscenso equo, alacri animo & citra omnem moram in specum se præcipitavit.

Cùm igitur tanta fuerit omnibus seculis Patriæ dignitas, nec unum quidem futurum spero, qui, quòd hasce meas primimitias A. V. dedicaverim, sit improbaturus. Maiorem autem in modum, viri amplissimi rogo, ut hoc munusculum, etsi non A. V. dignum, ab homine tamen V. A. addictissi. & observantissi. profectum, hilari fronte accipiatis; illudque potius ex animo offerentis, quàm ex ipsius muneris præstantia æstimetis, & à calumniosis malevolorum & invidorum morsibus, patrocinio & authoritate vestra vindicetis. Dabitur à me opera, quanta potest; maxima, ut A. V. gratiam meam, quam nunc animo foveo, aliquando re ipsa experiatur. Quod reliquum est, DEUM seriò precor, ut in Ecclesia vestra incorruptam veræ religionis doctrinam perpetuò conservet, vosque à Tyranno Turcico, infensissimo nominis divini hoste, clementer defendat, omniaque consilia vestra ita dirigat, ut cedant in ipsius gloriam, & Reipub. salutem. Valete Patres

tres & columnæ Patriæ, & me, meaque ſtudia vobis ita commendata habete, ut ego planè confido. Datæ in inclyta Academia IULIA, quæ eſt Helmſteti die 18. Auguſti, ANNO 95.

A. V.

obſervantiſſ.

Tobias Dorncreilius
Iglavienſis, philoſophiæ ac medic.
D.



CANDIDO LECTORI S.

SCio equidem, Benevole Lector, plures eximios viros idem quod ego, iamdudum tractasse argumentum. Verùm cùm plerique in hac purgationis materia vel sint nimis copiosi, vel eam, mira novitatis & arrogantiæ cupiditate ducti, tantis involvant difficultatibus, ut se Tyro medicinæ, non sine magno temporis omnium rerum pretiosissimi dispendio, & ingenti laborum mole, vix possit inde extricare, & artis nostræ Principes Hip. & Gal. sparsim eius meminerint: libuit ex his floscules tantùm colligere, eosque loca exactè in margine assignando, & ipsa authorum, vel eorum interpretum verba retinendo, huic nostro tractatui ordine concinno inserere, & refutatis falsis opinionibus, quam verissima sit Hip. & Gal. de attractione purgantium medicamentorum sententia, paucis ostendere. Nil moror malevolorum calumnias, qui quidvis

quidvis faciliùs carpere, quàm imitari, aut facere solent. Sufficit mihi, bonis, & rectè iudicantibus laborem meum, non ostentationis, aut auræ popularis captandæ gratiâ sed solo benè de multis promerendi studio susceptum, & hortatu Virorum de me optimè meritorum typis publicis exscriptum, probari. Te quoque, Lector sincere, obtestor, ut priùs, quæ conscripsimus, diligenter legas, lecta perfectè cognoscas, ac demum de cognitis candidè iudices.

Vale.



IN TRACTATUM

DE PHARMACIS.

Clarißimi ac Excellentiß. Viri

TOBIÆ DORNCREILII PHIlosophiæ & Medicinæ D.

EPIGRAMMA.

ENtua iam Medicâ, TOBIA, eſt falx meſſe repoſta,
Demete quod nimium eſt, non, benè quicquid adeſt.
Pharmaca dum mittis, malè cautis ſcomma remittis;
Scilicet, hic iuvenis, millia multa metit.
Sis prudens, Methodiq; tenax, & ſingula ſpecta
Sobrius, hinc arti quam bona fulcra dabis.
Non natura Deusvè bonis bona quæq; negavit,
Muſa placet, placeant Pharmaca danda tuis.

Ioan. VVerner D. Reverendiſſ. Capitul. ac Reipub. Halberſtadienſis Medicus.

IN

In Tractatum
Nobilißimi atque doctiß. Viri
D. TOBIÆ DORNCREILII
ABEBERHARTZ IGLAVIENSIS,
De Purgationibus.

Dilatum satiũ, & versatum est mente Tobia:
Ingenij specimen, dum potes, ede, tui.
Limitibus circumscripsit Natura pudorem
Æqua suis, & habet vimq; modumq; timor.
Stigma ut prostibulis tam divinæ artis inuras,
Purgandi veros & tueare modos:
Optima succincto veterum præcepta libello
Congeris, & quæ sint tuta, minusvè, doces.
Quis Bonus hoc studiũ, quis doctrinæ improbet usum.
Et finem, tantæ iudiciumq; rei?
O Medicũ Numen terrestre! Sed obsecro qualẽ?
Qui bonus est Medicus, vir pariterq; bonus.
Quem non artificẽ tantùm ars, solertia tantùm,
Sed Pietas etiam sobria, casta, facit.

Qualem Saxonicis te IVLIAS educat oris
Lactea; Sed cuinam hæc educat? anne sibi?
Hoc Superum in genibus. Sed terq; quaterq; be-
O gentem, talis cui sit Aristogenes! (atam
IGLAVIA hæc audi: tali tu Cive beata es,
IVLIAS aureolo quem fovet in gremio.
Forsan eris multò sed ciue beatior illo;
Si tibi, non aliis, fiet ARISTOGENES.
Muneris hoc curæq; tuæ est, Morauûm inclita se-
Qui cupit, ut fructu demetat, ante serat. (des
Vera loquor: spectat tu° hoc Dorncreilius *unu,*
Sit bonus ut Medicus, vir pariterq; bonus.
Ipsius ingenium, doctrina, modestia, candor,
Sobrietas, aliis nota, probata mihi.
Pullus labe carens ergò omniparentis Hygeiæ est:
Si sapis, hunc aliis subijce fida tuis.
Si qua patrocinio res digna; industria digna est,
Quam studiis adhibet mens generosa bonis.

Salomon Frencelius à Friden-
thal, Acad. Iuliæ Professor
Ethicus.

TRA-

TRACTATUS DE PURGATIONE

Proœmium.

RECTÈ Divinus Hippocrates, primus artis medicæ parens, et omnium quotquot antè ipsum fuerunt, Medicorũ facilè princeps, pronunciavit: Experimentum in medicina esse periculosum. 1. Aph. 1
Causam huius assertionis Galenus optimus Hip. interpres dicit esse materiæ dignitatem. Neque enim, inquit, Ibid.
lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ,
coria, artis medicæ, sicut aliarum artium, sunt materia: in quibus citra
cuiusquam damnũ quid possis multifariam experiri licet, & citra eam
materiam ad theorematum meditationem & confirmationem versari.
Quod in lignis fabri lignarii faciunt,
in coriis coriarij. Ligna enim & co-

rium si malè tractando deprauauerint, nullum inde cuiquam imminet periculum. In corpore autem humano ea tentare, quæ non sunt experientia comprobata, periculo non vacat: cum temerariæ experientiæ finis sit totius animantis internecio. Sed ut hoc verè de omni artis medicæ experientia dicitur: ita veriſſimè de purgatione. Nam si reliqua omnia prætereamus, & purgationẽ tantum cum Phlebotomia, quæ non minus, quam Purgatio magnũ auxiliũ censetur, conferamus, videmus, usum venæ sectionis longè tutiorem esse, usu purgationis, cum hæc, dum in motu est, regi nequeat; illa vero pro arbitrio medentis optimè gubernari possit. Quod enim, teste Gal. semel in ventriculũ assumtũ est medicamentum, quò minus omne assumtum sit, fieri non potest, sicuti nec hoc quidem, ut ubi plus, quã conveniat, iam purgatur homo, pars oblati auferatur. At in sanguinis missione summũ

lib. de curãd. rat. per sang. miss. cap. 11.

id

id bonum est, evacuationem cum velis, posse sistere, rursusq;, quo videatur tempore, sanguinem fluentem, nõ inhibere, quoad æger meliusculè habere videatur. De ingeniosissimo illo Averrhoë legimus, cum animadvertisset purgationẽ cum tanto periculo esse coniunctam, nec se posse ex animi sententia ἰδιοσυγκρασίας, id est, proprias ægrorum & medicamentorum naturas assequi, quod medicinã, cuius tamen erat peritissimus, exercere non sit ausus.

Cum itaque purgationi tantum subsit periculum, ut etiam summos in arte medica viros ab omni medendi usu absterrere potuerit: operę precium nos facturos arbitramur, si difficilimum hoc de purgatione argumentum, nostroquè guloso seculo cumprimis necessarium, secundum mentem Hippocratis & Galeni, aliorumquè optimorum authorum, nullum verborum affectantes ornatum, omnibusquè ambagibus declinatis, ipsum

Causa impulsiua huius tractationis.

ipsum solummodo nucleum attingentes, in theatro doctorum & rectè iudicantũ virorum proposuerimus, idque ita spectandũ exhibuerimus, ut quilibet huius perfectam cognitionem, quæ omnium maximè in præcavendis & propellendis morbis requiritur, absque mora & tædio sibi comparare possit.

Tractatus distributio.

Melioris verò doctrinæ gratiâ, hunc nostrum tractatum in tria capita dividemus: quorum

Primum aget, quid, & quotuplex sit purgatio, & an, ut cholagogum, phlegmagogum, & melanagogum, sic quoq; detur hæmagogum: præcipuè verò ostendet modum, quo medicamenta purgantia suum peculiarem attrahunt humorem.

Secundum docebit, an, quid, quantum, quando, per quem locum, & quomodo purgatio instituenda & usurpanda sit: ubi quoque, cum agetur de quantitate purgationis, doctrina de Dosi purgantium, cum sim-

simplicium, tum compositorũ obiter inseretur, moduſque monstrabitur, quo compositorum doſes facilè inveniri aut corrigi possint.

Tertium subiunget Regimen antè, in, & post purgationem.

CAPVT PRIMVM.

CUm ex iisdem constet definitio, ex quibus essentia rei constituitur, sitque definitio quædam cognitio: imò omnis cognitionis initium: rectè hunc tractatum nostrum ab ipsa definitione exordimur, ut, quid propriè Medicis sit Purgatio, intelligatur: præmissa tamen notatione Etymi, in quo non multa conquiremus, quæ per se patent: ut quod Purgatio à purgando, κάθαρσις à καθαίρω dicatur: τὸ δὲ ἐστι potius, quid revera sit purgatio, expendemus. Ea definitur à Gal. humorum qualitate molestorum evacuatio. Non puto autem

6. *Topi. cap. 2. Aristoteles.* 2. *post. analy. cap. 14.*

Notatio Nominis Purgatio quid 1. *aph. 2. & 2. aph* 17.

autem Gal. hoc loco nudam intellexisse qualitatem, quæ citra humorum excessum existat, sed quæ simul habeat materiam auctam. Nam ut nuda qualitas, sola alteratione, quæ fit per contraria, curatur: ita quæ materiæ sibi habet adiunctam abundantiam, primò purgatione & demum alteratione tollitur. Fit tamen nonnunquam, ut humor unus atque alter, non tàm quòd abundet, quam quòd adeò putridus sit, ut nulla ratione corrigi queat, purgante medicamento evacuetur.

Purgatio duplex.

Educuntur verò humores molesti, vel à natura, quæ sua sponte corpus à noxiis humoribus purgat: vel per pharmaca: Ideoq; alia purgatio spontanea seu naturalis; alia coacta seu artificialis Medicis dicitur. Nos relicta priori, de posteriori in præsentia agemus. Definitur autem artificialis purgatio, quod sit unius pluriumvè noxiorum humorum per pharmaca evacuatio.

Artificialis purgatio quid

Et

Et quoniam magna est partium corporis humani varietas, nec unaquæque quovis humore nutritur, natura provida non tantum quadruplices humores, ex quibus quælibet corporis particula proprium sumeret nutrimentum, produxit: Sed etiam instructissimo medicamentorum penu genus humanum donavit, ut per illa humores, qui à genuina natura declinârunt, nec ad eam, vel optima victus ratione, vel medicamentorum alteratione, vel naturæ caloris què nativi beneficio revocari possunt, adeoque prorsus ad nutritionem inepti sunt, è corpore artificiosè eiiciantur. Bilem igitur flavam, vel pituitam, vel melancholiam purgaturus, plurima inveniet pharmaca, intentione ipsius omni ex parte satisfactura. Summi etenim viri, & superioris & nostri seculi, longo usu, & indefessa solertia, subinde non tantùm purgantia invenerunt, sed etiam accuratè, quem singula humo-

humorem trahant, quaque id faciant lenitate aut vehementia, annotarunt. Et licet cholagoga, phlegmagoga & melanagoga reperiantur in magna copia: nullum tamen medicamentum facultatem habet primò & per se hæmagogam. Natura enim sanguinem, ut eximium vitæ thesaurum trahi minimè permittit, nisi vehementiori medicamento coacta. Ipse etiam Gal. medicinam Sanguinis eductivam reperiri negat, & si reperitur, medicus, inquit, ea uti non debet. Non enim evacuat sanguinem, nisi ob pessima, quæ inducit accidentia, excoriando scilicet venas, & earum admodum aperiendo orificia: & ibidem dicit: sanguinem per alvum evacuare, non esse purgare homines, sed jugulare: & medicamenta, quæ per venas intestinorū & ventris sanguinem deiiciunt, venenis annumeranda esse asserit. Nec video cur sanguis, quatenus quidem sanguis, purgatione indigeat. Nam si ve-

Nō dari hæmagogum.

libr. de purg. facul. cap. 6.

si verum est, quod purgatio solam respiciat cacochymiã, & sanguis nunquam qualitate, sed duntaxat quantitate peccet, qua quæso de causa eum per alvum educes? præsertim cum tutius evacuari possit per phlebotomiam & scarificationem, legitimas illas puræ plethoræ eductiones. Et quanquam non eo inficias, quandoque in corpore nostro sanguinem corrumpi; tamen illud quoque cum Gal. assevero, quod sanguis corruptus & putridus sanguis esse desierit, & portione tenui in flavam bilem abierit, crassa in atram, quas medicamento cholagogo & melanagogo purgamus. *lib. 2. de diff. feb. cap. 2.*

Perficitur autem purgatio cùm expultrice partium vi, tum attractrice medicamentorum facultate, quã natura non omnibus, sed tantũm electivè purgantibus indidit. *Purgationem & ab expultrice, & attractrice vi perfici.*

De expultrice partium vi omnes consentiunt: Attractrix verò in electivè

ctivè purgantibns (nam de aliis medicamentis, quæ solũ leniendo & laxando purgant, hîc nobis sermo non est) à quonã principio oriatur, maximè inter Medicos controvertitur. Quidam enim cum deprehendissent, Solem satis evidenter ex aquis & terra, solius caloris beneficio ingentem exhalationũ copiam attrahere, & calorem membris nostris, per ignẽ, per frictionẽ, vel per alium quemcunque modũ introductũ, promptè cum spiritus, tũ humores allicere, ipsaq; medicamenta, quo maiori pollent calefaciendi vi, eò quoque purgare vehementius: statim concludunt, hanc quoq; vim attractricẽ, quæ in electivè purgantibus reperitur, soli calori esse asscribendã. Verum fallunt, boni viri, & falluntur. Nam longè alia est in iis, quæ illi afferunt, attractionis ratio, quàm in purgantibus: quippe Sol ex quacunque humida materia, sine discrimine, caloris vi, educit vapores: membraque calefacta quo suis attrahunt

1. Opinio de attractrice purgantiũ facultate.

hunt humores: purgantia verò, non nisi cum delectu humorẽ sibi familiarẽ alliciunt, adeò ut pro diversa purgantium natura, modò succus melancholicus omnium crassissimus, modò pituita primò eiiciatur, bile, quæ inter humores reliquos est tenuissima, relicta. Nec ratio dari potest, quî fiat, si calor esset totalis attractionis causa, quod non omnia medicamenta quæ eundem, vel etiam maiorẽ obtinent caliditatis gradum, illam purgandi, quæ fit per attractionem, facultatem habeant. Fatemur quidem, quod calor purgantium, non exiguam in aperiendis venarum osculis, & in irritanda earum facultate expultrice, vim naturâ consecutus sit, universumque purgantium genus calidũ sit: verum quod ad hoc attractionis opus sufficiat, pernegamus. Est enim alia causa, quæ calore multo est nobilior, eoque tanquam proprio instrumento, cum familiarem sibi humorem attrahit, utitur.

Gal. 1. aph. 24. & lib. 1. facul. med. cap. 16.

Quidam

II. Opinio de vi attractrice pharmaci.

Quidam purgantium saporibus & modo substantiæ omnem attractationis vim assignare conantur. Omnia enim, inquiunt, purgantia, quò acriora & tenuiora fuerint, eò quoque humores crassiores, & in partibus remotioribus existentes evacuant. Ideoque pharmaca minus acria, & amaritudine ferè carentia bilem duntaxat flavam attrahunt: his acriora & tenuiora promptè eliciunt pituitam: Succum verò melancholicum, non nisi illa, quæ cum vehementi acredine insignem amaritudinem obtinent. Hanc opinionem futilem esse, multa haud eget demonstratione: neminem enim fugere posse arbitror, qui mediocriter saltem in re medica sit versatus, quod nequaquam omnia medicamenta λειπόμερα, & acerrimi vehementerq; amari saporis purgent humores nostros, nec quod omnia, quæ evacuant, sint tenuia, acria, & amara. Et aloë purgantium amarissima minimè

Impugnatur secunda opinio.

(quod

quod ex illorũ opinione sequeretur) melancholiam purgat, sed bilem tantum, & quidem vix ex prima regione. Ita lapis armenus, & stellatus seu cyaneus, cũ penè insipidi sint, præsertim si terantur & eluantur, iuxta eorum mentẽ attraherent bilem flavam: cũ tamen doceat usus, hęc medicamenta bilem atram, & phlegma, adeoq; ex ipso corporis habitu evacuare.

Arist. post. analyt. cap. 24.

Cum autem unius rei unica tantum sit causa, quæ dicatur causa propter quam res est: dicimus cum Hip. & Gal. quod attractio humoris per medicamentum fiat, ob solam similitudinem quæ consistit in tota substantia medicamenti & humoris.

Vera sentẽtia de attractrice purgantiũ facultate.

Diuus Mesues, initio canonũ universaliũ theoremate primo, medicamentũ purgans, non à temperamento, nec ut contrariũ in contrariũ, nec ut simile trahens & evellens alterum, sed quia talem, hoc est, purgandi facultatẽ, cœlitus sit sortitum, purgandi vim habere, humoresq; certos attrahere dicit. Quòd omnis inquit res (ut

Mesuæ opinio.

„ philosophi produnt) duplici sit dota-
„ ta & prędita facultate, elementari qui-
„ dem una, qua calefacit, refrigerat, hu-
„ mectat, & siccat, non autem purgat:
„ altera vero cœlesti eaq; vel communi,
„ vel sibi propria, ac temperiem illam
„ dirigente, & qua medicamentum, hoc
„ est purgans illud, hanc vel illam eva-
„ cuationem provocat, aliud aliam atq;
„ aliam habet virtutem. Quæ omnia
„ potest medicamentum cœlesti virtute
„ ad temperaturam accedente. Rebus
„ namq; omnibus, ut ait Plato, proprie-
„ tates quasdam indidit, quibus hæ ipsæ,
„ quod sibi est propriũ, agunt: idq; pro
„ formæ natura, & motione insita, cum
„ nulli' reiactio propria esse possit ulla,
„ nisi quam forma ipsa excitat & dirigit.

D. Mesuæ cum Gal. conciliatio.

Hanc Mesuæ opinionem (salvis tamen aliorum judiciis) cum Gal. sententia posse conciliari censemus. Mesues enim causam attractionis remotam; Gal. verò proximam afferre videtur. Nam, ut docetur in prædicabilibus Porphyrianis, propria oriuntur à formis substantialibus: ad harum autem

tem productionem (loquor jam de formis misti, non verò de anima) elementorum quidem formæ quasi materiam præbent, cœlum autem vice causæ efficientis fungitur. Teste enim Philosopho, ad omnes generationes & perfectiones astra concurrunt, & ex ipsorum motu, terminus durationis cuiusq; rei pendet. Cum itaq; in productione formarũ mistorum corporũ astra maximam & præstantissimam vim obtineant, adeoq; ut Divinus Plato cœlum mundi animam, Chaldei datorem formarum, & Aristoteles universam naturam dixerint, non immeritò Mesues omnem purgandi vim facultati, quam purgantia cœlitus sortita sunt, asscribit. Verùm Gal. animadvertens, istam purgandi ἐνέργειαν & proprietatem trahendi humorem determinatum, nequaquã immediatè ab astris produci, sed interveniente forma misti, voluit potius proximam causam, quam remotam, & ad scientias comparandas minus accommodatam assignare, & non, ut Mesues, cœ-

4. de gener. animal. cap. ultimo.

lestem virtutem, sed modò proprietatem, modò similitudinem totius substantiæ nuncupare.

Tota substãtia quid

Est autem hoc loco tota substantia nihil aliud, quã ipsa purgantiũ forma specifica. Hæc enim est perfectio & integritas, qua purgantia consistunt, estq; causa omnium propriorum per quæ unumquodq; pharmacum, sibi familiarem attrahit humorem.

Similitudinẽ in medicamenti et humoris formis, & nõ in accidẽtibus cõsistere. Aristot. lib. de gen. & cor. tex. 85.

Similitudinem substantiæ minus rectè Vallesius, Medicus eximius, in suis contro. lib. 9. cap. 1. affirmat consistere, in medicamentorum colore, crassitie, tenuitate, & eiusmodi qualitatibus, quæ videntur, ut ipse loquitur, esse magis ex parte materiæ. Nam absurdũ est, nobilissimas hasce actiones, materiæ ascribere, quæ principium est omnis passionis, nec ullam habet vim agendi: ut taceã modò, quòd Scammonium non flavum cum bile, sed cinericeũ colorẽ obtineat: quòd Agaricus pituitã educat, quæ ipsum crassitie & visciditate multum superat: quòd albumen ovi, quod æquè,

ac pituita, viscidũ & crassum est, non purget phlegma. Quare nequaquam hæc similitudo, aut in colore, aut in ulla alia qualitate sensui patente, quærenda est: sed necesse est eam ex intimis naturalis scientiæ penetralibus paulò accuratiùs eruere.

Ex phyficis enim discimus, principia formarum misti esse Elementa & sidera: cum autem elementorũ formæ parte sui quadam sibi sint affines & cognatæ, parte verò aliqua contrariæ: astra etiã quædam affectionibus, & natura conveniant, quædam contraria sint, ut quotidiana docet & clamitat experientia: mirum non est quasdam mistorũ formas inter se cõsentientes etiam hinc oriri, quasdam dissentientes, & aliàs magis, aliàs minus. Nam licet forma formæ contratia non sit, nisi per accidentia, per quę illæ agunt, contrariæ tamen censentur formæ, ratione potestatis contrariæ. Prout ergo mistorũ formæ se habent, ita etiã diversa de se generant propria cognatæ quidem similitudinem &

συμπάθειαν, contrariæ verò dissimilitudinem & ἀντιπάθειαν. Hæc igitur similitudo à formis medicamenti & humoris procedens, est causa aptitudinis, ob quam medicamentum agat, & humor patiatur, illudque sibi familiarem succum attrahat, hic verò trahenti pharmaco facilè cedat. Quodlibet enim non agit in quodlibet.

Quemadmodum autem ratio humana non progreditur eò usq; ut ipsas formas intueri possit: ita quoq; formarũ accidentia propria penitus perscrutari impossibile est, nec alia datur illorum, nisi quę fit à posteriori, cognitio. Quocirca rectè similitudo ista cæca, abdita, & occulta dicitur, & omninò laterem lavant illi, qui eam ad sensum demonstrare conantur. Ipse quidem Gal. videtur sensisse hanc similitudinem ex medicamenti colore, quo illud cum humore purgando convenit, esse depromendam: cum expressè dicat: Cnicum colore esse pituitæ similem. Verùm longè alia fuit Gal. sententia. Nam licet ibi colligat ex colore illam

Similitudo occulta.

Dubiũ.

lib. 3. de med. fac. cap. 24. Sententia dubij.

illam similitudinem, tamen hoc tantùm fit probabiliter, non verò demonstrativè. Si enim ullo modo hæc similitudo investigari potest, certè per solam fiet experientiam. Ideoq; alibi Gal. veteres reprehendit, quod in venandis medicamentorum facultatibus, acquieverint in rationibus probabilibus, quæ ex colore, sapore, & consistentia sumuntur, & omiserint demonstrativas, quas experientia suppeditat.

lib. 1. de medi. facul. cap. 1.

Humores quemodo à medicamentis attrahantur.

Educit autem medicamentum purgans, non ut voluit *a* Erasistratus, omnes æqualiter humores, primò allicicndo tenuiores, quos subinde sequuntur ratione vacui mediocres, ultimo loco, si scilicet pharmacum fuerit robustum, crassissimi: Nec ut *b* Asclepiades opinatus est, immutat humorē, cui primò inhæret, in aliam naturam, ac illum deindè evacuat, postremò sanguinem elicit: Nec ut *c* Aristoteles sensit, eliquat omnem excrementicium humorem, & eliquatum turbat, agitat, & extra corpus trahit:

a opinio Erasistrati Gal. lib. de purg. facul. cap. 5.

b opinio Asclepiadis. Gal. lib. de pur. fac cap. 2.

c opinio Aristotelis 1. sect. problem. 18

d Vera sententia.

d Sed absq; immutatione humores iã præexistentes, certos, determinatos, & specie differentes evacuat. e Nam medicamentum, cum corpus subierit, primùm id, quod sibi omnium maxime, ex iis, quæ in corpore sunt, cognatum est, agit: inde reliqua trahit & purgat: proinde ac stirpes & semina, ubi terram sunt ingressa, id quod in terra ineſt, suæ naturæ accommodatũ, singula attrahunt. Ineſt autem acidũ, dulce, amarũ, salsum, & omnimodũ. Ante omnia igitur ex eo plurimum quod sibi naturali propinquitate maximè coniunctum est, alliciunt, tum cætera deinceps attrahunt, Haud secus medicamenta faciunt in corpore. Etenim quæ bilem ducunt, primùm meraciſſimam bilem purgant, deindè mistam. Pituitæ item medicamenta, primùm meraciſſimam pituitam cient, postea confusam.

e Hip. lib. de Nat. hũ. diſt. 33.

In omni quidem purgatione primùm

Et verum quidem est, quod omne exhibitum pharmacũ liquidiora primò, deindè corpulenta magis semper educat: non tamen, ut Erasistratus voluit,

voluit, diversi humoris, ita ut quispiã primò serosa & aquosa excrementa, deindè bilem flavam, tertiò pituitam, & tandem melancholiam excernat; sed eiusdem. Nam si verũ esset, quod exhibitum pharmacum semper humores tenuiores primò attraheret, & his eductis demum crassiores, sequeretur, nunquam melancholiam posse evacuari, absq; ægri interitu. Cum enim melancholia inter reliquos humores sit crassissima, non cedet medicamẽto trahenti, nisi prius bilis flava, pituita, imo ipse sanguis (nam & is melancholia tenuior est) electus sit. His igitur corpori subtractis, quomodo vita consistet? Quare propinatum melanagogum primò partes tenuiores atræ bilis adoritur, posteà verò crassiores: & si iusta dosi fuerit exhibitum, educta melancholia, cessat omnis pharmaci actio. Sin iusto maior fuerit dosis, post proprii humoris evacuationem, reliquos quoque humores purgat, à tenuiori incipiendo, donec, ad crassissimum, ipsumq; sanvinem

elici tenuiora, deindè crassiora: non tamen diuersi sed eiusdem humoris.

guinem, si adhuc vigeat vis pharmaci perveniat. Hanc nimiam dosin Hip. in modò citato loco respiciens, pharmacum primùm sibi familiarem, tum cæteros deinceps humores attrahere, docet.

Fernelius præter peculiarē, generalē quoque medicamē to attribuit purgandi vim lib. 3. meth. med. cap. 5. oppugnatur Fernelij opinio.

Fernelius, Medicus profectò excellentissimus, videns pharmacum nimia quantitate assumtum, præter propriū, reliquos quoq; purgare succos, peculiari purgandi facultati, qua unumquodque medicamentum purgans præditum est, generalem adjecit, qua medicamentum in alios quoque humores incumbit, eosque communiter evacuat. Quod si concederetur, ratio dari non posset, cur tantùm in ὑπερκαθάρσεις, & non etiam in moderata purgatione aliorum quoque, quàm proprij humoris fiat evacuatio. Et si datur generalis purgandi facultas, habebit aut plus, aut minus roboris, quàm illa peculiaris seu propria. Si plus, hoc sequeretur absurdi, quod major semper aliorum, quam determinati humoris educeretur copia:

Sin-

Sin minus, citius evaneſceret generalis medicamentorum vis purgandi, quàm appropriata, ac ita medicamentum nunquam, poſt proprij humoris purgationem, poſſet demum per generalem vim purgandi, reliquos evacuare humores.

Idcircò Galeno potius credendum eſt, qui omnem cauſam, quod in ſuperpurgationibus humores purganti medicamento nequaquam familiares, cum determinato evacuentur, vaſorum infirmitati, oſculorum laxitati, & purgantis mordacitati tribuit. Cum enim vaſa, inquit, non amplius in ſe continere ſuccos poſſint, & oſcula eorum recluſa fuerint, nec irritare medicamentum deſinat, poſſitq; non amplius familiarem ſibi trahere ſuccum, neceſſe omnino eſt, reliquos quoq; excerni humores.

Cur in ſuperpurgationibus cum familiari, alij quoque evacuentur humores.

lib. 3. de med. facult. cap. 27.

Sed inſtat Fernelius, hoc modo arguens: Si medicamenta purgantia educunt humores tantùm proprietate totius ſubſtantiæ, & quidem in certa doſi exhibita, nõ autem generali quo-

Fernelij inſtantia.

que purgandi vi, qua in alios etiam humores, prẹter ſibi familiares, agunt eosq; communiter purgant: quì fit, quod licet in purgantium compoſitione, unumquodq, eorum non inconvenienti, ſed in adeò exili offeratur quantitate, ut ſi eadem doſi, ſeorſim exhiberetur, nihil purgaret: nihilominus tamen uniuſcuiuſque pharmaci ſuus ſufficienter educatur humor. Nam ſi volumus bilem ſeorſim expurgare, exhibemus Rhabarbarum in convenienti doſi, quæ communiter eſt duarum drachmarum. Si verò pituitam, Agaricus in eadem doſi exhibitus idẽ præſtabit. At ſi cupimus bilem & pituitã ſimul, & quidem utramq; in eadem copia, evacuare, non damus Rhabar. & Agar. ſinguli drachmas duas, ſed uniuſcuiuſq; unam tantùm. Et quamvis nec Rhabar. & Agar. ſit eadem, quæ illis debetur, ſi ſeorſim aſſumerentur, doſis, tamen non minori quantitate bilis & pituita educitur, ac ſi ſeorſim bilis per Rhabar.

Rhabar. ʒ ij. & pituita per totidem Agar. drachmas purgata fuerit.

Solutio obiectionis.

Hac acuta instantia, suam assertionem, de generali vi purgandi, Fernelius stabilire annixus est. Verùm accurata pharmaci consideratio, aliam nobis huius rei suppeditabit causam. Sciendum itaq;, quòd unumquodque medicamentum purgans, præter illã proprietatem, qua idoneum est, sibi amicum attrahere succum, habeat & stimulum quendam à temperamento prodeuntem, quo vasorum orificia aperit, eorumq; vim expultricem irritat. Illa in exiguo quanto efficax est, non aliter ac minimus magnes, potest trahere ferrum: hic verò nullam habet efficaciam, nisi in certa & determinata quantitate. Cum ergò stimuli pars, quæ ob minorem Rhabarbari quantitatem desideratur, per alteram Agarici resarciatur, & vice versa: atq; vis proprium humorem attrahendi in Rhabar. & Agar. æquè, ac si in maiori fuerint dosi exhibiti, vigeat, patet, totum hoc negotiũ huic stimulo potius,

à calore & acredine medicamenti producto, quàm generali illi purgandi vi, à Fernelio subtilissimè effictæ, tribuendum esse. Nec absurdum est, ut Fernelius putat, allium, pyrethrum, & piper habere purgandi facultatem, quanquam non talem, quali electivè purgantia sunt nobilitata. Hæc enim & stimulando vim expultricem, & attrahendo sibi convenientes humores purgant: illa verò postquam aperuerint, & irritaverint expultricem facultatem, totum evacuationis opus naturæ noxium humorem expellenti committunt.

Erastū electivè purgantibus nō rectè adimere vim attrahendi.

Posset hoc loco inseri refutatio argumentorum Doctissimi Erasti, quæ contra tractricem medicamentorum facultatem, in quæstione secunda tractatus sui de occultis pharmacorum potestatibus, attulit: Verùm cum instituti nostri habenda sit ratio, & ne tractatus noster compendij fines excedat, sufficiat in genere quid roboris ejus rationes obtineant paucis ostendere. Quæ igitur affert, de naturali

seu

seu spontanea purgatione, & de ijs, quas procreat, vel ciborum medicamentorumvè solus calor & acrimonia, vel insuavis odor, vel nausea seu ingrata recordatio, nihil faciunt ad tollendam purgantium attractionem: siquidem & nos modò concessimus, ejusmodi purgationes à sola expultrice facultate perfici. Quòd verò infert, idē in ijs quoq;, quæ per electivè purgantia fiunt accidere, haud sequitur, ob ingens discrimē, quo purgationes istæ inter se dissident. In illis enim nullus alius humor, nisi qui naturæ molestus est, à facultate ἀθρόως primò ejicitur: in his verò omnis etiā humor, quemcunque assumtum pharmacum respicit, cogitur medicamento trahenti primò cedere, sive noxius sit, & naturę negotium facessat, sive non. Ita Gal. contra Erasistratum disputans, melanagogum dicit in morbo regio non bilem flavam, quamvis redundet, & naturę paret molestiam, sed succū melancholicum educere, seq; Erasistrato omni supplicio devinctū tradit, si hoc

lib. de facul. purg. med. cap. 4.

phar-

pharmaco ictericum sublevabit. Et si sola facultas expultrix esset totalis causa purgationis, ratio reddi non posset, quare medicamentis electivè purgantibus exhibitis, humores in remotis etiam partibus existentes, tantum per alvum, non verò per alias compendiosiores vias eiiciantur: Verbi gratia, humor pituitosus vel melancholicus inferciens in Epileptico ventriculos cerebri, hausto phlegmagogo vel melanagogo, educitur non per nares, nec per palatũ, per quos meatus alioquin expultrix facultas excrementa cerebri secundum naturam & compendiosè excernere solet, sed demum per varios ductus, & longas ambages, ad centrũ rediens, per anum excernitur. Asserit quidem Erastus id duplici fieri de causa, quod scilicet intestina commodiores sint meatus, & quod pharmacum intestina & initia vasorum vehementius vellicet. Quod si ita est: Cur vis expultrix propter hanc meatuum commoditatem, non semper & omnẽ vitiosam materiam propellit, sed modo ad

de occult. pharm. potest. cap. 62.

dò ad cutim, ut in scabie, in elephantiasi, in herpete, modò ad articulos ut in arthritide, modò ad cerebrũ aliaq; viscera protrudit? Nec quicquam facultas expultrix partis affectæ, seu continentis materiam vitiosam, habet commune, cum expultrice intestinorum: siquidem longo intervallo à sese distant, nec vis pharmaci irritatrix ad locum affectum pertingit, ideoq; humorem peccantẽ facultas expellens, medicaméti vi irritata, eiicere nequit: aut si eò pertingit, & stimulat partis affectæ expultricem facultatem, aggredietur quidem virtus ἀδρὰ humorem vitiosum: cum autem non per intestina, sed per ea potius loca, per quæ iam ante pharmaci exhibitionem molita est evacuationẽ, educet. Et ut silentio præteream, quòd ipse Erastus non tantùm, quòd humores in corporis habitu existentes, per medicamenta purgari possint, sed etiam immemor sui, ipsam medicamentorum tractionem, in secunda quæstione adeò

deò acriter oppugnatam manifestis verbis concedat. Ita enim ait: Non nego cum Gal. quin aliquando, qui ex venis humor exierat, in easdem rursus ingrediatur, & per eas à circumferentia ad centrum & intestina perferatur. Etenim cum nuper admodum effluxit, necdum impactus est, non tantùm per medicamenta *retrahi* potest, verùm etiam sua sponte sæpè retrocedit. Ac ut dogma suum defenderet, coactus est asserere: quodlibet medicamentum quemlibet humorem purgare. Quòd quàm absurdum sit, etiam qui in primo saltem limine medicinam salutavit facilè intelligit. Unicum enim purgans ad omnes humores purgandos sufficeret, cùm hoc non minus, quam alterum polleat vi irritandi facultatem expultricem: ac perinde relevaretur Ictericus per phlegmagogum & hydragogum, ac si ipsi cholagogum fuerit propinatum. Quàm verò id impossibile sit, docet Gal. & usus quotidianus comprobat. Nec propterea, quod nullum in tota

de occu. pharm. potest. cap. 61.

interp. quæst. eiusdem gra.

de fac. nat. ap. 13.

rerum

rerum natura exemplum tractioni medicamentorum simile ostendi possit, vis pharmacorum attractrix rejici debet: quippè foret hac ratione etiam tractionem in Magnete negandam esse, cùm nec hujus simile exemplum ullibi extet.

Cùmitaque per electivè purgantia certus ac determinatus humor, sive peccet, sive non, educi possit, per alias verò purgationes, non nisi naturæ molestus, semperque per alvum, humoris etiam extra vasa in partibus remotioribus existentis, fiat excretio, ipse etiam Erastus hanc tractionem concedat, nec quodvis medicamentum quemcunq; humorem purget: optimè statuitur purgationem, quæ fit per electivè purgantia, tàm à vi medicamentorum attractrice, quàm à facultate partium expellente perfici: Nec adeò temerè, & sine gravi causa à veterum monumentis, quibus tota ars medica accepta referri debet, recedere decet, nec convenit

venit inauditū & inconveniens dogma introducere.

Cur humor li medicamento, & nō medicamentum ab humore attrahatur.

Verùm quispiam fortè roget: cum purgatio per similitudinē fiat, quæ est inter medicamentū & humorem, humorq; iā actu calidus sit, medicamenti verò calor, potentiâ latens, à calore nostro nativo demum in actum deducatur: cur non potius medicamentū ab humore, quàm humor à medicamento attrahatur? Respondent quidam, quòd medicamenta maiori sint prædita calore, quàm humores trahendi: quod & ipse Gal. sensisse videtur, dum Cnicum, ait, calore suo pituita valentiorem esse, ut trahere quàm trahi magis par sit. Ex hac solutione, si universaliter vera esset, hoc colligeretur; Rhabar. à bile flava semper attrahi; siquidem hæc illi calore suo prævalet. Quare rectiùs dubium hoc ita solvi posse arbitramur, ut dicatur, id fieri vi similitudinis, qua medicamentū & humor aptus est ut illud trahat, hic verò attrahatur. Sic magnes semper trahit ferrum, nunquam verò à

Quorūdam solutio. 3. de medic. facult. cap. 24.

Impugnatur solutio.

Vera solutio.

maxima

à maxima etiam ferri mole attrahi poteſt: Quippe habet ſibi ingenitum principiũ, ſecundum quod in ferrum agit, & haud à ferro patitur. Nec quòd humor actu calidus ſit, medicamentũ verò poteſtate, humori maior vis trahendi, quàm medicamento tribuenda eſt. Nam, ut oſtenſum eſt, non calor, ſed indita proprietas eſt attractionis cauſa.

Breuiter repetitur modus, quo purgantia humores attrahunt & euacuant.

Acut rem paucis complectamur, dicimus, quod facultas attractrix à totius ſubſtantiæ ſimilitudine prodiens, humorem cuiq; medicamento familiarem attrahat, eumq; medicamentorum tractione variè exagitatum, ac proindè naturæ moleſtum vis expultrix per alvũ eiiciat. Et ſi medicamentum maiori, quàm convenit, exhibeatur quantitate, non tantùm per ſimilitudinẽ totius ſubſtantiæ, proprius medicamenti evacuatur humor, ſed huic etiam ob vaſorum imbecillitatem, nimiam orificiorum apertionẽ, & purgantis mordacitatẽ, reliqui ſuccedunt humores, ita tamen ut primò tenuis,

& ad

& ad motum aptior, deindè paulò crassior exeat, hinc sequatur crassissimus, imò ipse quoque, si adeò effrena sit purgantis vis, sanguis, qui naturæ maximè est conveniens, atque unicus vitæ thesaurus. Et hæc quidem, quomodo medicamentum purgans operetur, dicta sufficiant. Sequitur caput secundum.

CAPVT SECVNDVM.

In præcedenti capite de purgationis definitione & differentia, & num inveniatur medicamentum, quod electivè ducat sanguinem, pro instituti nostri ratione egimus; veramq; tractionis electivè purgantium causam attulimus, ob quam quodlibet pharmacum sibi familiarem & determinatum humorem prolicit & evacuat. Iam verò dextrum purgantium usum, his sex scopis comprehensum: An, quid, quantum, quando, & per quem locum, & quomodo purgatio instituenda usurpandaque sit paucis explicabimus.

An igi-

An igitur purgatione utendum sit, tum morbi materia, tum ægrotantis vires indicium faciunt. Si enim morbus à cacochymia dependeat, adsitq; virium robur, omnino corpus purgandum est: Nam humor, cuius prava qualitas corrigi nequit, per nullum aliud auxilium rectiùs, quàm per purgationem tollitur, præsertim si vires adhuc valeant, & medicamenti vim de potentia in actum deducere possint. Contrà verò in morbo, quem pura plethora, aut immaterialis intemperies produxit, prorsus à purgantium exhibitione abstinendum est. Cum enim ut supra demonstravimus medicamentum humorem sibi familiarem educat, nec ipsum in ejusmodi morbo reperiat, sanguinem & carnes, teste Gal, colliquat, ut ex ijs, quod suum est, elicere possit, & inducit vertigines & tormina, purgandique parit difficultatem, & ægri celeriter exoluit vires: uti videre est in ijs quoque, qui ab omni cacochymia liberi optimè valent, quàm

An purgandũ quando dicent.

lib. quos quando pur. con. cap. 2.

ægrè,

ægrè, quàm moleſtè ferant medicationes. Et licet adſit humorum impuritas: tamen ſi vires nimio languore proſtratæ ſunt, purgatio nunquã tentanda eſt. Quî enim fieri poteſt, ut vires iam imbecilles, ſi adhuc vi pharmacorũ laceſſantur, morbo non ſuccumbant, & deperdantur? Quare ſubindè ad morbi materiam, & vires ægri ille animi oculus deſigendus eſt.

1. aph. 87.

Quid purgãdũ quæ indicẽt.

Quid verò purgandum ſit, morbi materia, & reliqua coindicantia, à tẽperamento, ab ætate, à vitæ genere, ab anni tempore, & à victu præcedenti deſumta, facilè oſtendunt. Sic materia tertianæ puræ indicat bilem flavã, & haud alium humorem evacuandũ eſſe: inprimis ſi illud quoq; accedat, quod æger ſit naturâ calidus & ſiccus, ætatis conſtantis, multum ſe exerceat, victu calido & ſicco utatur, anniq; tempus calore & ſiccitate excedat. Eodem modo melancholia, cancer, elephantiaſis, bilem atram ſupra modum excreviſſe, eamq; purgandã eſſe innuunt, eoq; manifeſtius quantò ma-

gi

gis reliqua coindicantia consenserint. In febri verò quotidiana pituitam, & in hydrope aquam educimus. Hoc igitur si exactè observetur, & humor tantùm peccans corpori subtrahatur, tùm leviùs, tum faciliùs habet ægrotans: contrà, si ex iis aliquis, qui nequaquam morbi causa est, educatur: vires omnino solvuntur, æger gravitatem sentit, morbusq; augetur. Ideoq; divinus Hip. perpulchrè monet: vasorum depletionem, si, qualem fieri oportet, fiat, expedire, illamq; ægros facilè ferre: nec quæ vacuantur multitudini metienda esse, sed si, quæ oportet, vacuentur, & facilè ægri ferant. *Gal. 1. aph. 23.* *1. aph. 21.* *1. aph. 23.*

Quando ergò constat, quòd purgatio suscipienda sit, nec ignari sumus, quem humorem purgari conveniat: statim deliberatio instituenda est, de purgationis *quantitate*, quæ, ut ipse testatur Gal. omnium maximè artem medicam in agendo conjecturalem efficit. Hanc nobis definit humoris copia, qualitas, & situs, tum virium *lib. de cura rat. per sang. miss. cap. 14.*

Quantũ purgandũ qua indicent.

robur, ægri temperamentum, habitus corporis, ætas, purgandi consuetudo, vitæ genus, sexus, regio, & ipsum anni tempus. Nam si corpus multis viscidis, & crassis humoribus refertum sit, iique in partibus remotioribus seu in ipso corporis habitu consistant, & vires constent, ægerque sit calidus & humidus nec admodum gracilis, aut pinguis, sed mediocri præditus habitu corporis, & consistentem habeat ætatem, atq; purgare antea consueverit, & rarò se exerceat, sitque masculus, & vivat in regione calida & humida, & in anni tempore, quod easdẽ cum regione obtinet qualitates, purgatio paulò validior tutò institui potest.

At si humores viscosi non admodũ redundent, sed tenues & ad motum apti sint, nec longè à ventriculo & intestinis distent, vel etiam in iis hæreant, vires quoque langueant, sitque patiens calidus & siccus, vel frigidus & siccus, vel frigidus & humidus, vel immoderatè pinguis, aut gracilis, & sit puer, aut senex, nec antea unquam usus

usus sit purgatione, & multùm de corporis substantia per varios motus, & labores vehementes deperdat, sitq; fœmella, & quidem gravida, & degat in anni & regionis constitutione vel nimiùm calida & sicca, vel frigida & sicca, vel frigida & humida, nequaquá vehemétia purgantia exhibenda sunt. Humores enim fluxiles & in prima regione existentes, facilè cedunt, medicamento etiam mitissimo: nec corpora calida & sicca purgationem paulò majorem ob sanguinis, spirituumq; inopiam, & ob humorum promptitudinem ad inflammationes, & ob virium debilitatem, facilè ferre possunt. Ita etiam frigida & sicca, & frigida & humida corpora maximam sentiunt in purgando difficultatem, tùm quòd sanguinis atque spirituum laborent penuria, tùm etiam quòd habeant angustas vias, quæ non liberum medicamentis & humoribus vacuandis transitum præbent. Verùm calidi & humidi citra molestiam, majorem pūrgationem tolerant, propter

humorum exuperantiam, & virium integritatem. Et certè, si valde pingues, aut graciles vehementer purgentur, verendum est, ne in illis frigiditas prævaleat, venasq; caro opprimat, & inanes claudat, unde calore nativo suffocato, ipsa mors subsequatur: in his verò ne principales facultates dissolvantur, & humidum radicale, cujus, ut & caloris nativi exiguam habent portionem, prorsus absumatur, calorque insitus, ob pabuli sui defectum extinguatur. Nec minus peccat, qui, vel pueros, quorum substantia continuè & insigniter, propter inordinatos motus, & nimiam auctionem, dissipatur; vel senes, quorum vita, instar lucernæ parum jam habentis sevi oleivè, extingui solet, vehementi audet pharmaco evacuare. Et consultum esse judicamus, ut pueri & senes à purgationibus omninò abstineant, vel certè si maxima urgeat cacochymia, suademus, ut pharmacis lenissimis, & benignissimis, & quidem in convenienti dosi exhibitis utantur.

Idem

Idem esto de prægnantibus judicium. Insueti quoque plurimum læduntur, si medicamentum purgans, in paulò majori, quàm conveniat, dosi ipsis propinetur. Nam, qui consueverunt solitos ferre labores, etiamsi fuerint imbecilles & senes, non consuetis, fortibus, atque juvenibus facilius ferunt. Proinde blandis sensim pharmacis purgationum insuetos tentare: & non temerè vehementioribus impetere atq; labefactare expedit. Quippè reperitur quandoq, in corporibus humanis, quædã ἰδιοσυγκρασία, sequens peculiarem & incognitum mistionis modum, qua aliqui facili ac leni purgantur pharmaco, ex forti pereunt: contrà verò alij. Nec balneatores, bajulos, fossores, fabros ferrarios, & alios qui circa opificia laboriosa versantur, multùm evacuare convenit: Si enim resolutio, quæ per continuos sudores fit, purgando augeatur, omnimoda sequetur virium enervatio. Quare hæc diligenter cognoscenda & ponderanda sunt, ne incauti in

1. Aph. 49.

quantitate medicamentorum aberremus, & fortè unà cum humore peccante ipsam tollamus vitam.

Quoniam autem nec ista ad justam purgationis quantitatem determinandam noviſſe ſufficiunt, niſi quoq; communis medicamentorum doſis ſit probè cognita; non abs re videtur de purgantium Dosi hoc loco obiter pauca inſerere. Trademus verò qua quantitate ſimplicia purgantia ſecundum mentem probatiſs. authorum ſint exhibenda, & generalem compoſitorum doſin annotabimus modumque aſſignabimus, quo unuſquiſque per ſe, omnium purgantium compoſitorum, ſive ſint pilulæ, ſive electuaria, &c. legitimam doſin facilè inveſtigare poſſit.

Medicamenta alia purgant, alia tantum lauant.

Sciendum itaque, quod medicamenta, quæ corpus noſtrum purgant, ſint in duplici differentia. Quædam enim à proprietate totius ſubſtantiæ, ſibi peculiares attrahunt humores: quædam verò, ob materiæ ſuæ conditionem quoſuis humores & feces in ventri-

ventriculo atque in inteſtinis hærentes evacuant. Ita leniendo & emolliendo alvum ſubducit althæa, butyrum, malva, mercurialis, oleum, pruna, viola, & ejuſmodi alia: cotonea verò mala, & pyra auſteriora, poſt cibum aſſumta, ſua aſtrictione, & oris ventriculi corroboratione per accidens ſedes promovent. Cum verò, quæ vi materiæ laxant, impropriè dicantur purgantia; nec multùm referat, ſi quis ea paulò majori, minorivè, pro libitu, ſumat quantitate, eò quòd non tàm medicamenta ſint, quàm cibi medicamentoſi: his omiſſis, de illis ſolùm, quæ attrahendo evacuant, agemus, exordientes à ſimplicibus.

De doſi purgantium ſimplicium.

Simplicia itaque omnia, ducunt aut aquam ſeu ſeroſum humorem, aut flavam bilem, aut pituitam, aut melancholiam, & quidem tripliciter: vel leniter, vel mediocriter, vel vehementer.

Leniter aquam hydropicorum purgat *ſuccus ebuli*, ex radice vel medio

Leniter purgat ſreſum humoré

cortice expreſſus, & datur ℥ j. pondere. Idem præſtat fructus ebuli, duplo ſaccharo, & parte cinnamomi octava conditus, & in eadem, qua ſuccus doſi exhibitus.

Radix Mechoacanna Ebulus & eius doſis.

Radix Mechoacanna ℥ j. pondere propinata.

Vehementer aquam educit in abdomine collectam *mezerium*, aliàs *ſemen thymeleæ*, & *granum gnidii* dictum, cujus doſis in decocto eſt à ℥ ß uſque ad ℥ j. in pulvere verò à caract. ſeu Kiratis duobus uſque ad quinq; id eſt á gr. viij. uſque ad gr. xx. Eodem modo extrahit aquam citrinam *Elaterium*, quod eſt *ſuccus cucumeris ſylveſtris*, & juxta Meſuem, exhiberi ſolet, à gr. x. uſque ad gr. xx. pulvis verò radicis ejus datur à gr. xv. uſque ad gr. xxx.

Vehementer purgantium ſeroſum humoré doſes Mezerium. Elaterium.

Eſula. *Eſula* quoque eadem vehementia hydropis materiam elicit: cujus radicis corticem à Karactis duobus uſque ad karact. vij. & lac ejus, quod & *ſuccus tithymali* dicitur, à karact. uno uſque ad karact. iij. exhibet Meſues. Secundum Fernelium autem radicis cortex in pulverem redactus datur à

gr. v.

gr. v. usque ad gr. x. lac verò à gr. iij. ad gr. vij.

Lenitèr purgantium bilem flavam dosis.

Leniter bilem flavam educunt Cassia, manna, rosa, viola, & tamarindi. Et datur *Cassia* cùm in substātia, tùm in infusione, ab ʒ j. ad ʒ j. ß. *Mannæ* dosis est secundum Mesuem à ʒ vj. usq; ad ʒ x. hodiè verò ut plurimum exhibetur, ab ʒ ij. ad ʒ iij. vel ut Mercurialis vult ad ʒ v. Censet enim, ut & ipse Gabriel Fallopius, medicus eminentissimus, Mesuem vel diversam à nostra habuisse mannam, vel eidem alia etiam adjecisse purgantia. *Rosarum & violarum* succus propinatur ab ʒ j. ad ʒ ij. Sin tantum infundantur datur infusio ab ʒ iiij. ad ʒ viij. *Tamarindi* dantur ad ʒ ij. ad ʒ v.

Cassia. Manna lib. 2. de compos. med. cap. 6. cap. 37 tract. de med. purg. Rosa. Viola. Tamarindi.

Mediocriter bilem flavam evacuantium dosis.

Mediocriter bilem flavam evacuant, absynthium, aloë, eupatorium, myrobolani citrini, Rhabarbarum, & semen psyllij. *Absynthij* pulvis datur à ʒ ij ad ʒ iij, succus à ʒ iij. ad ʒ ß. infusio ab ʒ v ad ʒ vij. Dosis *Aloes*, secundum Averrhoëm, est à ʒ j. ad ʒ ij. secundum Mesuem ab aureo semis, id

Absynthium. Aloes.

est à ℈ ij. ad ʒ ij. in infusione verò ab aureo uno ad aureos iij. pulueris *Eupatorij* dosis est à ʒ ij. usque ad ʒ iij. decoctionis verò ab ℥ iiij. usq; ad ℥ vj. *Myrobolanos citrinos*, Mesues dat in substantia à ʒ ij. usque ad ʒ v. in infusione à ʒ v. usque ad ʒ x. Mercurialis pro ʒ x. legit ʒ ℈. *Rhabarbari* dosis in substantia est à ʒ ß. ad ʒ ij. ℈. in infusione à ʒ ß. ℈ ad ʒ iij. *Psyllij* semen datur á ʒ ß. ad ʒ iij.

Eupatorium.

Myrobolani citrini.

Rhabarb.

Psyllium.

Vehementer purgantis bilẽ flauam dosis.

Vehementer choleram elicit *Scammonium*, quod præparatum in officinis *Diagridium* dicitur, & secundum Mesuem datur à gr. v. ad gr. ℈ ij.

Scammoni, seu diagridiũ.

Pituitam mediocriter purgantiũ doses.

Pituitam leniter purgantia nulla reperiuntur: mediocriter autem eandem evacuant, agaricus, aristolochia, been, Myrobolani bellerici, chebuli, & emblici, cartamus, geniſtæ semen, hyssopus montanus, & hortensis, iris, oppoponax, sarcocolla, serapium, turbit. *Agaricum* Mesues in substantia à ʒ ß. ad ʒ ij. in decoctione à ʒ ij. ad ʒ v. exhibet. Verùm

Agaricus.

rùm hodiè vix ʒ ij. transcendimus etiam in infusione. *Aristolochiæ* quantitas est à ʒ j. usque ad aureum j. *Been* seu *nux mirepstica* datur à ʒ ß usq; ad ʒ j. ß. *Myrobolanorum bellericorum* dosis est in substantia à ʒ ij. ß ad ʒ ß. in infusione ab ℥ ß ad ℥ j. *Chebulorum* in substantia à ʒ ij. ad ℥ ß. in infusione ab ℥ ß ad ʒ ɣ. *Emblicorum* in substantia ab ʒ j. ß ad ℥ ß, in infusione ab ℥ ß ad ℥ j. *Cartamus* seu *Cnicus* datur à ʒ iiij. ad aureos v. & flos eius à ʒ j. ad aur. ij. Dosis *seminis genistæ* est, à ʒ ij. usque ad ℥ ß. florum eius à ʒ ij. ad ʒ v. Pulvis *Hyssopi montani* datur à ʒ iij. ad ʒ vij. decoctionis à ʒ vj. ad ʒ ɣ. *Hortensis* verò pulvis datur à ʒ ij. ad ℥ ß: decoctionis à ʒ v ad ʒ ɣ. Radicem *Iridos* Mesues à ʒ ij. ad ʒ vj. exhibet. *Oppoponax* datur à ʒ j. ad ʒ ij. *Sarcocolla* quoque à ʒ j. ad ʒ ij. *Serapij* dosis est à ʒ ß ad aureum j. Et *Turbith* dosin in substantia præscribit Mesues à ʒ j. ad ʒ ij. in infusione à ʒ ij. ad ℥ ß: nostro seculo communiter datur ʒ j. vel paulò plus.

Aristolochia.
Been.
Myrobolani bellerici
Chebuli
Emblici
Cartamus.
Genista
Hyssopus montanus
Hortensis.
Iris.
Oppoponax.
Sarcocolla.
Serapij.
Turbith

Colocynthis.

Vehementi vi ac perturbatione pituitam ejiciunt colocynthis, Euphorbium, & hermodactylus. *Colocynthidis* dosis in pulvere secundum Mesuem est à caract. sex. usque ad ℈. id est, à gr. ℈ℹℹℹj. usque ad gr. ℈ℓ. Serapio verò ponit dosin, à caract. tribus usque ad sex. & in fortioribus à gr. ℈v. usque ʒ ß. Verùm hodiè vix ad gr. ℈v. ascendimus.

Euphorbium.

Euphorbium datur à kira. j. ad kira. iij.

Hermodactylus.

Hermodactylus juxta Mesuem exhibetur à ϑ iiij ad ϑ viij. Fernelius autem pulveris dosin facit à ʒ ß. ad ʒ j. decoctionis à ʒ j. ad ʒ ij.

Sena.

Iis quoque quæ leniter melancholiam evacuant destituimur: sola excepta *sena*, quæ datur in substantia à ʒ j. ad ʒ ij. in infusione ab aur. iij. ad ℥ j.

Melancholiam medsocriter purgantium dosis.

Quæ verò eundem humorem facultate seu modo mediocri educunt sunt Epithymus, fumaria, myrobolani Indi, polypodium, & stœchas. Epithymi dosis in substantia est à ʒ ij. ad aur. iij. in decoctione à ʒ v. ad ʒ vj. Nec sequendus est Mesues qui Epithymi

Epithymus.

dosin

dosin esse scribit, in substantia quidem à ʒ iij. ad ʒ vij. in decoctione verò à ʒ v, ad ʒ xx. Nimium enim foret, si ad ʒ xx. ascenderemus. Ideoque censemus sphalma esse typographicum in textu Mesuæ, & rectissimè pro ʒ xx. ʒ x. substitui posse. *Fumariæ* pulvis datur in substantia à ʒ iij. ad ʒ v. succus verò ab ℥ ß ad ℥ ij. Dosis *Myrobolanorum Indorum* est in substantia à ʒ ij. ad ℥ ß, in decoctione ab ℥ ß ad ʒ x. *Polypodij* dosis usitata est à ʒ ij. ad aur. iiij. *Stœchados* pulvis datur à ʒ iij. ad ʒ v. decoctum ab ℥ v. ad ℥ viij.

Fumaria. Myrobolani Indi. Polypodium. Stœchas

Maximo robore & vehementia succum melancholicum expurgant, helleborus uterque, lapis armenus, & lapis Lazuli. Et datur *Helleborus Niger seu Veratrum* à siliquis sex, id est à gr. xxviij. ad ʒ ij. *Albi* verò *Ellebori* dosis Mesues, non meminit, cum ut ipse ait, corporibus nostris sit tanquam venenum propriè suffocans. *Armeni lapidis* illoti dosis est à ʒ ß ad ʒ j. loti à ʒ j. ad ʒ ij. *Lapis Lazuli* tutiùs secundum Auerrhoëm à ʒ ß ad ʒ j. quàm

Melancholicum vehementer purgantium dosis. Helleborus niger, albus. Armenus lapis. Lapis Lazuli

juxta Mesuem à ʒ ij. ad ʒ ij. ℈ propinatur.

Inter hæc pharmaca, quorum dosin hactenus annotavimus, sunt nonnulla, quæ præter illum humorem, quem præcipuè evacuant, etiam alios eliciunt: sic Scammonium, sena, &c. bilem utramque, & pituitam omnium consensu educunt: idque ob diversas medicamenti facultates. Nam medicamenta pleraque, ut ipse Gal. testatur, quæ sensui simplicia videntur, persæpè compositas obtinent vires, imò verò nonnunquam etiam contrarias.

lib. 3. de simpli. med. facul. cap. 14.

In genere autem de dosi notandum est, quòd ut plurimùm simplicia leniter purgantia, dentur unciis, mediocria drachmis, vehementia granis. Nec verò unquam per se & seorsim vehementer purgantia tutò exhibentur, sed semper lenibus tantùm admiscenda sunt: Hæc enim si absque aliorum admistione usurpantur, maximam vim naturæ inferre solent, ideoque præstantissimi Medici quique, ista

Generalis de dosibus simplicium purgantium regula.

Sola vehementer purgantia nō sunt usurpanda.

ista tantùm instar stimuli, leniter & mediocriter purgantibus adjiciunt.

Quomodo dosis purgantium simplicium cum invicem commiscentur sit variandæ.

Verùm quomodo in compositione purgantium dosis eorum sit varianda, trademus, Deo volente, copiosiùs, cum de compositione medicamentorum agemus: breviter solùm hoc loco observetur: Si medicamentum leniens, & medicamentum mediocriter purgans, vel leniens & vehementer purgans commiscentur, amborum usitatam dosin retineri: cùm lenientia purgent tantùm ex ventriculo & intestinis, nec admodum juvent mediocriter aut vehementer purgantium vim ex remotioribus partibus attrahendi. Quando verò medicamentum purgans mediocre cum mediocri, vel mediocre cum vehementi componitur, tunc cujusque dimidia tantùm pars dosis usitatæ retinetur. Ita si tria mediocria, aut tria vehementia (quod rarò, vel nunquam fit) aut unum mediocre & duo vehementia, aut unum vehemens & duo mediocria commiscenda & usur-

usurpanda sunt, singulorum duntaxat tertia pars sumitur; & quidem si omnia eundem ducant humorem, vel etiam diversos, æqualiter tamen abundantes. Si enim diversi humores evacuandi sint, & alter horum altero magis abundet, illius medicamenti, quod humorē magis abundantem purgat, major quàm alterius, quantitas exhibenda est. Ut si pituita & bilis æquali copia peccent, sintque per mediocria purgantia euacuandæ, sumo agaricum & Rhabarbarum, quæ mediocriter purgant, ille quidem pituitam, hoc flavam bilem: & cum amborum dosis usitata sit ʒ ij. uniuscujusque tantum dimidiam partem, id est, ʒ j. exhibeo, unde pari copia, cùm pituita tùm bilis è corpore ejicitur. At si plus phlegmatis expurgandum sit, quàm bilis, augeo dimidiam partem dosis usitatæ agarici, & diminuo partē dimidiam dosis usitatæ Rhabarbari, ita ut dem agarici ℈ iiij. rhabarbari verò solùm ℈ ij. & plus educetur pituitæ, quàm bilis. Idē sit judiciū de reliquis.

Et li-

Et licet plurium, quæ recensuimus, medicamentorum simplicium purgantium hodiè nullus in purgando usus sit, ut sunt hyssopus uterque, stœchas, genista, &c. tamen ea reliquis adjicere voluimus, ut si fortè in examine doses purgantium compositorum occurrerent, eorum doses essent perfectè cognitæ. Atque de simplicibus purgantibus hucusque: sequuntur composita.

De compositis purgantibus.

Composita purgantia sunt, aut syrupi, aut electuaria, aut species, aut pilulæ, aut trochisci.

Syrupi purgant vel *bilem*, ut syrupus rosar, lavat. syrup. Violar. syrup. ex flor. persicorum. syrup. de cichorio cum Rhabar. Vel *pituitam*, ut syrup. de bryonia, de hermodactyl. vel *humores mixtos*, ut syrup. Diasereos, & diacnicum. Horum communis *dosis* est ab ℥ ij. ad ℥ iiij. vel etiam ad ℥ v.

Dosis syrupeorum.

Electuaria sunt aut lenitiva, aut solutiva: *Lenitiva* ducunt vel *bilem*, ut Diacassia cum manna, Diacassia magistralis, cassia extracta sine foliis senæ,

cassia

cassia cum foliis sennæ, Diaprunum compositum non laxativum, Elect. leniti. de manna: Vel *humores mixtos*, ut Elect. lenit. Diacathol. Hæc *dantur* ab ʒ ß ad ʒ j. vel ʒ ɟ. *Solutiva* purgant aut *bilem flavam*, ut elect. de succo rosar. Elect. rosar. Mesuæ. Elect. de psyllio: diaprunum laxati: aut *pituitam* ut benedict. laxat. Diaphœnicon. Elect. Indum majus & minus, Elescoph, Diaturbith majus & minus, Hiera picra cum agarico: Hiera picra compos. Hiera Pachij, Hiera Hermetis, Diacolocynthidos Archigenis: *aut melancholiam*, ut diasena Nicolai, Diasena Gentilis, Confect. Hamech major & minor, Diapolypodium, Hiera logodium: *aut humores mixtos*: ut Catarthicum imperiale, Diacarthamum, Diaturbith cum Rhabar. Hiera Ruffi, Hiera Abbat. Horum omnium generalis *dosis* est à ʒ ij. ad ʒ ß.

Leniti-vorum Electuariorũ dosis.

Electuariorũ solutivorum dosis.

Specierum autem ex quibus modò dicta electuaria componuntur, dosis est à ʒ j. ad ʒ. ij.

Specierum dosis.

Pilu-

Pilulæ quoque varij sunt generis: quædam enim purgant *bilem*, & vel ex *capite*, ut pilulæ aureæ, pil. arabicæ: vel ex *Epate*, ut pilulæ ex Rhabar. pil. sabelliæ pilu. de Eupatorio. Quædam evacuant *Pituitam*, & vel ex *capite*, ut pil. cochiæ, pil. ex colocynthide. pil. Alhandal. pil. ex octo rebus seu octomeræ, & pil. ex sex rebus: vel ex *thorace*, ut sunt pil. Hieræ cum agar. pilulæ ex agar. vel ex *Ventriculo* ut pil. alephang. pilulæ mastichinæ, pilulæ stomachicæ, pilul. pestilentiales: vel ex *iunctura*, ut pilulæ de hermodactyl. pilul. arthriticæ, pilul. fœtidæ majores & minores, pil. ex oppoponace, pil. ex sagapeno, pil. de sarcocolla, pil. benedictæ: Quædam educunt *melancholiam*, ut pil. de lapide armeno, pil. de lapide Lazuli, pil, ex fumaria, pil. Indæ. Quædam proliciunt *serosos humores*, quales sunt pilul. de mezerio, pil. de Euphorbio. Quædam denique *mistos humores* purgant, & vel è *capite* ut pil. sine quibus, & pil. lucis majores & minores.

vel

vel è *ventriculo*, ut pilulæ Hieræ simplicis & compositæ, pil. Assaieret, pil. ex aloë & mastiche, pil. de aloë lota, pil. Imperiales: vel ex *Epate*, ut pil. ex Halicacabo: vel ex *toto* ut pil. aggregativæ. Harum *dosis* generalis est à ℈ ij. ß ad ℈ iiij.

Pilularum dosis.

Trochiscorum quidam purgant mediocriter; quidam vehementer. Illi purgant aut *bilem*, ut trochis. de Rhabarbar. aut *Pituitam* ut troch. de agarico, agaricus trochiscatus, troch. Hamech. *Hi* evacuant vel *pituitam* ut troch. de Alhand. vel *humores mistos*, ut trochis. de violis cum scammonio. Trochisci mediocriter purgantes *dantur* à ℈ ij. ad ℈ v. Qui verò vehementer purgant *exhibentur* à gr. v. ad gr. xij.

Trochiscorum & mediocriter, & vehementer purgantium dosis.

Verùm enimvero cum doses istæ generales quandoque fallant, diligenter observandus est modus, quo omnium purgantium compositorum dosis aut inquiri, aut corrigi possit. *Modus* ergò hic esto: quandocunque offertur aliquod purgans compositum, cujus

Modus quo omnium compositorum purgantium dosis aut inquiri aut corrigi possit.

dosin

dosin author non adjecit, vel in ea errore typographi sphalma admissum est, statim hac via instituenda est supputatio. Et *Primò* quidem memoria repetenda sunt, quæ paulò ante de dosi, & qualitate simplicium attulimus. *Deindè* quæcunque in composito reperiuntur simplicia, unumquodq; ad suam classem referendum est: Ita Rhabar. iis, quæ mediocriter purgant bilem, annumeratur: Scammonium verò, iis, quæ vehementer ducunt eundem humorem. *Tertiò* videndum, quot dosis largiuntur omnia purgantia simplicia totius compositi, si singula seorsim exhibeantur: dosis verò collectæ notandæ sunt. *Quartò* expendatur, quot drachmarum vel scrupulorum sit totum compositum, quod constat cùm ex purgantibus tùm ex aliis speciebus, succis, vel saccharo, quæ purgantibus multiplici de causa adijciuntur. *Tandem* eiusmodi analogia, secundum regulam proportionum, instituatur: tot dosis simplicium purgantium dant tot drachmas

vel

vel scrupulos totius compositi; quot dabit una purgantium dosis drachmas vel scrupulos compositi?

Quoniam autem exempla sunt rerum obsides, hanc præceptorum normam uno atque altero exemplo declarabimus. Primùm sint *Pilulæ aureæ* in quibus tria reperiuntur purgantia, aloës scilicet; Diagridium, & pulpa colocynthidis: primum mediocriter, alterum purgat vehementer bilem, tertium eadem vehementia pituitam. Ergò aloëm ad mediocriter, Diagridium ad vehementer bilem purgantia refero, & pulpam colocynthidis vehementer pituitam evacuantibus annumero. Et siquidem secundum Mesuem aloës datur à ℈ ij. ad ʒ ij. sumo ℈ iiij. pro mediocri dosi, & proveniunt quatuor circiter doses, quas annoto. Sic Diagridium datur juxta eundem authorem à gr. v. ad gran. xij. sumo gr. x. tanquam dosin ferè mediocrem, & per ea divido ʒ vj. Diagridij, quæ ingrediuntur

Primũ exemplum.

has

has pilulas. Ut verò divisio eò expeditior sit, has drachmas sex resolvo in grana, & proveniunt gr. CCCLX. Hæc divisa per grana ɣ. dant Diagridij doses XXXVI. quas reservo. Similiter ʒ j. pulpæ colocynthidis, resolvo in gran. LX. quæ divido per grana ɣ. quæ sunt colocynthidis seorsim exhibitæ dosis conveniens, & largiuntur sex doses. Has igitur, cum aloës & Diagridij dosibus conjungo, & exurgunt in universum XLVI. doses: Iam inquiro totius compositi quantitatem, quam invenio ʒ ɣɣiiij. ß. seu ℈ LXXIIII. Nam tota harum pilularum compositio habet specierum, cùm purgantium, tùm reliquarum ʒ ɣvj. ß. Et licet mucilaginis tragacanthæ, quantitas non sit in textu definita: tamen regulare est, ut ad conficiendum magladium, seu massam pilularum, specierum duæ partes, una autem mucilaginis, succi, aut syrupi sumantur. Addo igitur muci-

mucilaginis tragacanthæ ʒ viij. quæ cum specierum ʒ vj. ß. faciunt ϑ LXXIIII. Denique hanc instituo proportionem: XLVI. doses, dant ϑ LXXIIII. quot dabit scrupulos, dosis una? Ducatur ultimus in medium, & productum dividatur per primum. Facta autem legitima operatione proveniunt ϑ j. ß gr. ij. quæ sunt media harum pilularum dosis.

Modi huius utilitas

Atque hinc intelligere est, ex hoc modo facilè colligi posse, non tantùm veram dosin omnium compositorum: sed etiam, quem, aut quot humores, & qua quemcumq; humorem quantitate, & qua lenitate, vel vehementia unumquodque compositum purget. Verbi gratia: in his pilulis offerunt se tria purgantia, nempe aloës, Diagridium, & pulpa colocynthidis. Cùm igitur aloës & Diagridium ducant bilem, & pulpa colocynthidis pituitam, & quidem aloës mediocriter, reliqua verò maxima vehementia, & Diagridium cum aloë habeat se ad pulpam colocynthidis in octupla proportione

tione; statim concludo has pilulas vehementer bilem flavam & pituitam purgare, verùm ita, ut semper octo partes bilis, & unica tantùm pituitæ evacuetur.

Alterum exemplum sit *Electuarium de succo rosarum*, in cujus compositionem ingreditur succus rosarum, qui leniter, & Diagridium quod vehementer bilem evacuat. Cum verò, ut suprà dictum, lenientia tantùm ex ventriculo & ex intestinis purgent, nec juvent vim ex secunda tertiavè regione attrahendi mediocriter & vehementer purgantium; colligo prorsus eodem modo, quo in præcedenti exemplo, Diagridij doses, & invenio LXXII. Totius verò Electuarij pondus est ʒ CCXXV. & ℈ ß. seu ℈ DCLXXVI. (omissis ʒ viij. quæ facilè, dum succus cum saccharo ad justam consistentiam coquitur, exhalant.) Iam instituo talem analogiam: LXXII. doses, dant ℈ DCLXXVI; quot dabit scrupulos, *Secundum exemplum.* *fac. 29.*

una dosis ? Calculo subducto emergunt ℈ iʒ. gr. vij. quæ exactè describunt dosin mediocrem huius electuarij.

Cautela Atq; iste modus in reliquis omnibus valet : præsertim si summa diligentia observetur, eorum præparatio, fermentatio, & compositio : quippè secundum has, non rarò alia, quàm in textu reperitur, constituenda est compositi quantitas. Sic coctio medicamentorum, ob plurimam exhalationem suadet, ut totius compositi pondus, in textu positum, pro brevioris, diuturnioriſvè coctionis ratione, imminuatur. Diuturna verò fermentatio, & adiecta medicamenta, quæ malignam purgantium qualitatem corrigunt, insinuant, hoc modo inventam compositi dosin augendam esse: Ideoque in majori etiam dosi pilulæ aureæ exhiberi solent, quod compositionem earum ingrediatur mastix, & mucilago tragacanthi, quæ nonnihil purgantium vehementiam refringunt.

Verùm

Verùm hæc dicta sint, de dosibus purgantium compositorum, seorsim sumptorum. Ubi verò libuerit, ob humorum purgandorum varietatem, duobus, aut tribus invicem mistis una vice uti compositis, varianda dosis est, secundum normam, suprà de commistione simplicium purgantium traditam. Sed de quantitate purgationis determinanda hactenus. Sequitur tempus purgationis.

De dosi compositorum inter se mixtorum.

fac. 29.

Tempus, quo commodè & tutò purgatio fieri possit, indicat nobis tempus anni, dies, & diei hora, & morborum generalia tempora. In *vere* enim quibus venæsectio aut purgatio prodest, his secanda vena, aut purgatio imperanda est. Quippè tunc ex æquo temperatum est corpus, & venæ patent, & humores in modo substantiæ mediocritatem obtinent. Post Ver *Autumnus* purgationib⁹ maximè idoneus est, cum sæpe in veris naturam mutetur, & Gal. & Ruffus apud Oribasium, præcipiant, utilli, qui purgandi sunt,

Quando purgandum quæ indicent.

Hip. l. 6. aph. 47.

lib. quos & quando purg. conve.

vel vere, vel autumno purgentur. Minus ád purgationes accommodata eſt *Hyems*, ob nimium & intenſum frigus. Per hoc enim humores impacti, tenaces, craſſi, & immobiles fiunt, & admodum difficulter cedunt medicamento trahenti. Periculoſiſſimum autem tempus *Æſtas* haud immeritò cenſetur. Vires enim eo tempore ex ambientis aëris æſtu exoluuntur, & corpora per ſe ſatis calida, per calorem & acredinem medicamentorum purgantium magis exuruntur, maximaque naturæ vis infertur, dum aëris caliditas humorem ad circumferentiam allicit, pharmacum verò ad centrum eoſdem retrahit: unde accidere ſolet, ut complures hoc tempore purgati febri corripiantur: adeò ut rectè Hip. moneat: Sub cane & ante canem, difficiles eſſe purgationes. *lib. 4. aph. 5.*

Medico ſunt aſtra obſervanda.

Verùm non tantùm caniculæ exortus, Medico diligenter obſervandus eſt, ſed etiam Arcturi & Pleiadum, & alia-

& aliarum ſtellarum, quæ inſignes ſunt, & maximam, teſte experientia, habent in noſtris corporibus efficaciam. Morbi enim ut plurimùm in his diebus judicantur, aliique perimunt, alij verò deſinunt, aut in aliam ſpeciem, aliumque ſtatum tranſmutantur. Nec Medico contemnenda ſunt Solſtitia, Æquinoctia, & magnæ temporum mutationes. Hæc enim ipſum Hip. & Gal. obſervaſſe legimus, nec in illis Hip. medicinas libenter exhibuiſſe, neque uſſiſſe quæ circa ventrem ſunt, neque ſecuiſſe, priuſquàm præteriiſſent dies decem aut plures, & non pauciores: Imò Aſtronomia non minimam partem confert ad rem medicam ſed omnium plurimam: cum unà cum temporibus & ventriculi in hominibus mutentur, ut ipſe Hip. teſtatur. Et Fernelius in præfatione ſuæ medicinæ: nemo, inquit, vel in primo limine ſalutarè tentet medicinam, qui non prius Aſtronomiam &c. didicerit. *Hip. lib. de aer. aq. & loc.* " " " *Ibid.* " " " " " *Ibid.*

Nota.

Sed quæ hactenus de temporibus anni, & observatione astrorum diximus, tantùm de præservatione, & de morbo inducias præbente intelligenda sunt. Ridiculum enim foret, si Medicus haberet manifestas purgationis indicationes, & vellet ob solum anni tempus inconveniens, aut ob malignos planetarum aspectus purgationem differre, atque concedere, ut interim morbus ægrum jugulet. Feliciùs quidem purgatio succedit, si universalis causa cum particulari conveniat: prudentis tamen est, inter duo mala, quod minus est, eligere, & purgationem, non vehementibus, ac si omnia consentirent, sed benignis & lenibus pharmacis perficere.

Diebus Criticis non est purgandum.

Dierum quoq; observatio apprimè in purgantibus propinandis utilis est. Criticus enim dies omninò à purgantium usu abstinendum esse suadet, præsertim si jam signa manifestæ coctionis adsint. Nam alioquin crisis, quam natura fortè per hæmorrhagiam

narium,

narium, vel per vomitum, vel per sudores, vel per vesicam molitur, impediretur; & ut ait Hip. quicunque continua febri correpti, pharmaco usi sunt in diebus paribus, hi nimiùm purgati nunquam sunt. Qui verò in diebus imparibus medicamento forti usi sunt, nimiùm purgati sunt. Humor enim in corpore ægroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculum transmittente. Et si quis jam turbatur, adhuc magis perturbatur medicamento immisso, nihil miri est, ex talibus hominem perire. *lib. 4. de morbis.*

Inter diei *horas* in morbis accessiones habentibus, illa purgationibus destinanda est, qua morbus intermittit, aut saltem remittit: in morbis verò, qui per circuitum haud recurrunt, matutina reliquis anteferenda est: Siquidem à solis exortu sanguis & reliqui humores suscitantur, ipsoque diei lumine tenuiores, fluxuique fiunt aptiores, maximè secunda, tertiaque

diei hora: nec ita à cibis jam dudum concoctis, & in corporis habitum distributis, pharmaci operatio impediri potest, ac si alia quavis diei hora exhiberetur.

Tempora morbi quatuor à Gal. numerantur: principium, augmentum, status & declinatio. In ipso igitur acutorum morborum *principio* (quod non pro prima morbi invasione, nec pro eo, quod latitudinem obtinet, & ad tertium extenditur diem, sumimus, sed pro prima totius morbi parte accipimus, quæ signis coctionis definiri solet, non autem dierum numero) in quibus materia turget, corpora purgare convenit, nullis etiam coctionis signis apparentibus: ut ipsemet Hip. monet; ubi, medicari, inquit, in valde acutis, si materia turgeat, eadem die; cunctari enim in his malum est: quippe periculum est, ne humores motu vehementi agitati, in membrum principale irruant, ægrumque interimant. In *principio* autem morborum

lib. de temp. morb.

Hip. 4. aph. 10.

" "

borum acutorum, qui existunt citra humorum turgentiam, nunquam aut certè, ut vult Hip. rarò medicamento purgante utendum est: idque diligenti cum præmeditatione fieri oportet. In chronicorum quoq; morborum *Principio*, purgatio tentanda non est, sed semper expectandum, donec manifesta coctionis signa appareant, juxta Hip. sancitum: quo concocta maturaque medicari ac movere præcipit, non cruda: & Gal. in longis, inquit, morbis semper oportet concoctionem expectare: & alibi: cavendum est, corpora expurgare, omninò apparente cruditate in succis. Tunc enim habemus primùm ipsam naturam vacuationis adiutricẽ, cum humores cocti sunt: siquidem ipsa post coctionem apertè videtur humores secernere, & quod supervacaneum est, expellere. Imò purgatione quoque avocatur natura ab humorum coctione, quæ quiete & calore moderato, non verò purgantibus, quæ

1. *aph.* 24.

1. *ap.* 22.

1. *ap.* 24.

4. *de rat. sect. com.* 33.

Gal. 1. *aph.* 24.

omnia facultate sunt calida, & humores exagitant, perfici solet.

3. meth. med. Verùm hoc loco meminisse oportet præcepti Gal. quod ei primùm subveniendum sit, quod magis urget, altero tamen non prorsus neglecto.

Nota. Proindè quæcunq; de materiæ concoctione attulimus, ea tenùs acceptanda sunt, quatenùs nulla accidunt, quæ nos omninò ad purgandũ, præter materiæ turgentiam, & coctionem, adigunt. Si enim tanta adsit humorum copia, quam natura non tantùm non potest superare, sed etiam metus impendet ne copia ista naturam obruat, certè non video, quid possit lenem purgationem prohibere: per hanc enim natura aliquantulum à mole humorum vindicata, promptè refocillatur, viresque assumit, quibus faciliùs, quod reliquum est, concoquere ac denique vincere potest. Et satiùs profectò est anceps auxilium hac in re experiri, quàm nullum.

Celsus lib. 1. cap. 10.

Sed

Sed dubium hoc loco suboritur, de quibusnam loquatur concoctis in modò citato aphorismo Hip. Concoctorũ enim quadruplex potest constitui genus. Primò namque concocti dicuntur humores, quicunque à calore nativo debili, ex humido & sicco ciborum, geniti, demum adaucto calore perficiuntur. Ita concoctum appellamus sanguinem, quem calor nativus majus acquirens robur, ex pituita cruda produxit. Deindè humores tenues acquirentes justam consistentiam, & ipsorum formæ convenientem, concoctos dicimus. Tertiò humores concoctos nuncupamus, qui postquam aliquid contraxêre putredinis, iterum pristinæ ac propriæ restituuntur naturæ. Denique concoctis quoque annumeramus omnes humores, qui prorsus erant putridi, & per concoctionem benigniores fiunt, & in pus album, crassum, & fœtore omni carens vertuntur. Nos eos tantùm concoctos humores, quorum

Quæ cõcocta intelligat Hip. 1. aph. 22.

omnem naturam putredo abolevit, Hip. intellexisse, constanter asserimus. Hi enim non solùm dum crudi seu putridi existunt, sed etiam cum jam cocti sunt, toto genere sunt præter naturam. Nam licet in eorum coctionem natura strenuè incumbat, nunquam tamen eos prorsus restituit: verùm illorum tantùm fervorẽ, acredinem, & fœtorem obtundit, eosque successivè in pus quoddam convertit. Hoc ergò cum morbos recidivos, si diutiùs in corpore commoretur, parere soleat, rectè Hip. quamvis concoctum sit, si natura cunctetur, purgare præcipit. Reliqui verò humores, quamprimùm concocti fuerint, genuinam nanciscuntur naturam, & corpus nutriunt. Quis igitur sit tantæ amentiæ, qui humores secundum naturam existentes, & ad nutritionem idoneos, præsertim si non peccent sua quantitate, corpori subtrahere non dubitet? De sanguine ex pituita cruda per ulteriorem concoctionem con-

Galen. lib. 2. de Diff. rat. sex. 4.

Aph. 12

confecto & de aliis humoribus iustam consistentiam, & suæ naturæ convenientem assecutis, quod corpori, eiusquè certis quibusdam partibus nutrimentum suppeditent, nullum prorsus est dubium: Quòd verò semiputridi humores possint corrigi, atque correctos corpus nutrire, ipsemet Gal. passim testatur.

De *augmento* idem, quod de principio diximus, statuendum. Nam hìc quoque, si materia concitetur, purgatio maturanda est: aliàs verò cùm in acutis tùm in diuturnis morbis materiæ concoctio expectanda est: nisi fortè humores peccantes adeò abundent, ut impossibile sit, eos posse à natura vinci. Hoc enim in casu, per medicamenta lenientia utiliter aliqua humorum particula & potest & debet detrahi: cùm hac ratione naturæ laboranti suppetias feramus. Ita Gal. in tertiana notha, exhibet blandè purgantia medicamenta, crudâ adhuc existente materiâ.

2. aph. 17. 11. meth med. cap. 9. 2. Epid. sect. 2. com. tex. 44.

In *Statu* nullum exhibendum esse pharmacum ex Hip. liquet. Sic enim ait; morbis incipientibus, si quid movendum esse videtur, move: vigentibus autem, quiescere multò præstat. Circa enim initia & finem morborum, omnia sunt remissiora symptomata, in statu vehementiora: in vigore quoq; & animalis facultas admodum languet, & natura à materiæ concoctione, in quam tunc maximè incumbit, minimè avocanda est: ut nil dicam, quòd per pharmaci exhibitionem crisis, quam in statu natura non semper per alvum, sed per alias vias quandoque tentat, interturbari possit.

2. aph. 29.

2. aph. 30.

In *declinatione* dubium non est, quin materia à natura, pòst crisin relicta, tutò per pharmacum & possit & debeat evacuari, ut corpus à morbo futuro præservetur. Nam quæ à morbis post crisin relinquuntur, recidivos morbos facere consueverunt. Siquidem enim ut Gal. ait, residua

2. aph. 22.

Ibid.

por-

portio totius humoris, qui morbi causa erat, naturam redolet, consentaneum est, illum nequaquam posse in corporis substantiam converti, sed paulò pòst humores puros, & recens etiam alimentum inquinare, recidivosquè morbos excitare.

In genere autem de temporibus morborũ notetur, quòd in his omnibus liceat purgationibus uti, si materia turgeat, & virtus, de qua omnium prima sumitur indicatio, non admodum sit prostrata, nec humores sint viscidi aut crudi, sed tenues & aquosi. *Nota.*

In omni quoque evacuatione *locus*, per quem fieri debeat, diligenter considerandus est. Quæ enim educere oportet, quoquò maximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere convenit. *per quẽ locum purgandum. 1. aph. 21.*

In primis autem locum purgationis indicat, anni tempus, pars affecta, patientis aptitudo & constitutio. Nam æstate superiorem potiùs ventrem *Indicãtia locũ purgationis.*

trem, hyeme inferiorem purgari con-
4. aph. 4 venit. Et supra septum transversum
4. aph. 18. dolores, quicunque egent purgatione, per superiora purgandum esse significat: qui verò infrà sunt, per in-
4. aph. 6 feriora. Et graciles, qui ad vomitionem sunt faciles, per superiora purga, nisi hyems adsit: ægrè verò vomentes, & modicè carnosos, quos
4. aph. 7 δυσπύρους Græci appellant, infernè pur-
4. aph. 9 gato, devitans æstatem. Melancholicos infrà vehementiùs purgabis, eadem ratione contrariam iniens vacuandi viam.

Modus purgationis. *Modus* purgationis consistit in forma, & qualitate purgantium, quas indicat evacuandi humoris locus, & ægri natura. Nam si materia peccans hæreat in prima regione, communiter pharmaca in forma potionis propinamus: si verò circa corporis ambitum, seu circa cutem & partes exteriores consistat, in forma boli, aut pilularum purgantia exhibemus. Bolus enim ac pilulæ, cùm solidæ sint,

diu-

diutius in ventriculo morantur, ideoque faciliùs, è partibus longè dissitis materiam vitiosam attrahere possunt. Contrà verò potio, ob celerem sui per ventriculum & intestina transitum, non adeò remotos evacuat humores. Nec satis est, ad eductionem materiæ existentis in ipsa partium substantia, quæ ad summam cutim atque articulos accedunt, medicamēta in forma solida exhibuisse, nisi quoque accedat vehemens purgantis qualitas, seu robur. Itaque si oculi, aut alia quæcunque à ventriculo paulò remotior pars purganda sit, lenibus & mediocribus pharmacis semper adiicimus ea, quæ vehementem habent vim purgandi, qualia sunt Diagridium, colocynthis, Elleborum &c. Mitiora namque è prima corporis regione, mediocria è vasis maioribus, valentiora è corporis habitu, ex singulisquè particulis evacuant. Per naturam ægri hoc loco intelligimus temperamentum atque naturalem

poten-

potentiam & impotentiam. Melancholicis ergò & pituitosis potio magis convenit, quàm bolus, aut pilulæ. Horum enim calor debilis, tardiùs, & difficiliùs solida medicamenta dissolvere, & in actum deducere potest. Contrarium verò in biliosis & sanguineis, ob contrariam causam, quotidiano usu observatur. Sunt enim quædam naturæ, quæ prorsus à potionibus abhorrent, & malunt pilulis vel electuariis purgari: Quidam autem potiones respuunt, & delectantur bolo pilulisvè. Verùm de capite secundo hactenus: restat tertium.

CAPVT TERTIVM.

Scopos legitimæ purgationis in secundo capite, qua licuit dexteritate, explicavimus: Reliquum est, ut de norma quoque, secundum quam æger ante, in, & post purgationem regendus est, quam breviſſimè agamus.

Notan-

Notandum igitur, quæcunque corpora purgare volumus, ut ea fluida faciamus. Nam si quis bilis flavæ fervorem & acredinem domuerit, & corporis crassos & lentos humores tenuârit secueritq; atque meatus, per quos humores medicamentorum purgantium vi traduci trahiquè debent, reserârit, ea demum fuerit longè optima in omnibus purgatio: quibus neglectis, si subducendam alvum curaveris, ægre molestèque purgatio procedet, non sine ventris torsione, interdum & vertigine quadam, magnaque corporis inquietudine, & pulsus depravatione, interdum etiam corporis solutione & difficultate. Licet & assumtis pilulis aquam mulsam pauca quantitate bibere, si scilicet ventriculus aliis non scateat humoribus, aut in febribus ardentibus aquam hordei exiguæ quantitatis. Somnus quoq; iis, qui calorem nativum debilem habent, & per pilulas vel electuaria purgantur, concedi

2. aph. 9 Ante purgationem quomodo corpus præparandum. Galen. ibid. " " " " "

cedi potest, ut per illum calor nativus ab externis ad interiora membra revocatus, augeri eosquè facilius pilularum latens purgandi vis, in actum deduci queat. Qui verò liquida hauserunt pharmaca, illisquè calor innatus robustus est, rectiùs à somno abstinent. Et ne æger nauseabundus medicamentum assumtum, vomitu reiiciat, naribus eius admoveatur panis tostus aceto simplici, vel rosato madens, fiatquè post pharmacum exhibitum oris per vinum, per oxycratum, vel per alium palato gratum liquorem ablutio.

In purgatione quid ægro observandum.

Incipiente autem purgatione patiens â cibo & somno arcendus est, usque dum effectum purgans medicamentum compleverit: ne fortè cibus medicamenti permistione corrumpatur, & per somnum purgationis opus impediatur. Nam teste Hip. cum sistere purgationem volumus, somnum conciliamus, nec corpus movemus. Per somnum enim actiones

4. aph. 15. Galen. ibidem.

nes animales feriuntur, & quiescunt, tùm quæ per sensuum fiunt instrumenta, tùm quæ per musculos in motibus voluntariis.

Post purgationem qualis diæta conueniat.

Finita purgatione utatur infirmus iusculis detergentibus, quæ medicamenti reliquias eluant, omnemquè eius molestam qualitatem auferant, & paulatim ad cibos assuetos redeat. Nam virtus ventriculi ex purgatione labefactata, non potest cibos in paulò maiori copia assumtos concoquere, eosque crudos & indigestos venæ ad corporis exinaniti nutritionem avidè attrahunt, atque ita cacochymiæ sublatæ, alia fortè periculosior substituitur.

Tractatus de Purgatione

FINIS.